

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3481

**Auteur(s)** : Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye, abbé)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1246, septembre

**Lieu d'émission** : Cluny

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Privilège de saint Louis, roi de France, qui prend sous sa protection l'Abbaye de la Trappe, en confirme tous les biens, droits et privilèges, et en ajoute plusieurs autres.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 461, p. 76.
- b. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, Appendice, n° VIII, p. 598-601.

Texte établi d'après b

Ludovicus, Dei gratia, Francorum Rex venerabilibus viris archiepiscopis, episcopis, abbatibus, decanis, præpositis, prioribus, archipresbyteris, officialibus, principibus, ducibus, comitibus, baronibus, summorum senatum totius regni nostri Franciæ præsidibus, et consiliariis omnibus, justiciis, ballivis, vicontibus ; et aliis ministris omnibus, et fidelibus suis sanctæ Matris Ecclesiæ, præsentibus et futuris salutem et dilectionem.

Quisquis divini amoris intuitu, et spe salutis æternæ quidpiam indigentibus amministrat in præsentî sæculo, ipse sibi utique thesaurisat in futuro. Hac spe ducti, inclytæ recordationis et magnæ memoriæ prædecessores nostri, reges, principes et duces, domum Dei quæ dicitur de Trapa, ordinis Cisterciensis ita dilexerunt, et manu tenuerunt in omnibus suis, ut propriam protexerunt.

Propterea consequenter eadem intentione nos pro salute animæ nostræ, antecessorum et successorum nostrorum eandem domum aut abbatiam, et omnes ejus terras, redditus, possessiones, privilegia, immunitates, exemptiones et libertates sæcularium exactionum, a Summis Romanis Pontificibus, et ab aliis Ecclesiarum Prælatibus ; necnon a regibus, principibus, ducibus, vel aliis fidelibus personis eidem abbatia concessas et datas, auctoritate nostra regia confirmamus, et continuamus ; et præsentis scripti privilegio, do, confirmo et continuo ; in manuque nostra, et custodia, et protectione suscepimus et suscipio. Et eisdem Monachis ibidem Deo servientibus concessimus, quæ etiam omnia propriis nominibus in præsentî duximus exprimenda, et posterorum memoriæ commendanda.

Locum ipsum in quo prædicta abbatia sita est cum omnibus pertinentiis suis, in pratis, terris, stagnis, pascuis, nemoribus, usuagiis, in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, in columbariis, et justitiis, et in omnibus aliis suis libertatibus et immunitatibus.

Grangias de Laigneio, de Campis, de Boissello, de Bolleto, de Aguerneio, de Prato Columbi, de Castro Hylario, de Tuschiis, de Vaunosia, de Raderio, de Hecteria, de Baladone, de Gastina, de Quercu Haudacri, de Nocumento, de Maheru, de Haya, de Barris, de Contrebis, de Chantecoq, de Haravillier, de Valle Hermerii.

In decimis, in bladis, in baronibus, in feodis, retrofeodis, in vavassoriis, in dominio, in hominibus, in redditibus, in terris cultis et incultis, in pratis, in aquis, in stagnis, in nemoribus sceduis et non sceduis, in molendinis, in columbariis, in justitiis, in exemptionibus et immunitatibus suis, et in omnibus aliis rebus ad easdem Grangias et terras omnes quas nunc possident pertinentibus.

Et in forestis de Pertico et Resno, ligna viva et mortua ad facienda ædificia prædictarum duarum Grangiarum de Laigneio et de Valle-Hermerii et ad calefaciendum, præcedente visitatione ab agentibus nostris, et ballivo, et aliis hominibus ad id cognoscentibus. Et in eisdem forestis pasnagium porcis, herbagium, folium, fougeriam, et pasturam omnibus animalibus duarum prædictarum Grangiarum, modo sint de nutritione illarum. Et in foresta de Maheru, ad carrucas faciendas et reparandas dictæ Grangiæ de Maheru tres fagos per manus forestarii nostri annuatim tradendas, et clausuras ad prata et terras dictæ Grangiæ. Et in eadem foresta pasnagium porcis, durante ipso, folium, herbagium, fougeriam et pasturam omnibus animalibus dictæ Grangiæ.

Et in foresta de Bonis Molendinis, et Molendinis, duas arbores pro reparatione dictæ Grangiæ de Nocumento singulis annis per officarios nostros tradendas, et pasnagium porcis, verris, etc., suis cum omnibus porculis suis, modo sint de nutritione dictæ Grangiæ quos omnes ob causam singulis annis in vigilia sancti Johannis Baptistæ apud Bonas Molendinas, præsentate receptore ducere tenentur ostendendos ; et folium, herbagium, fougeriam et pasturam omnibus animalibus ejusdem Grangiæ.

Et in foresta de Britolio, pasnagium et pasturam ad sexaginta porcos de nutritione dictæ Grangiæ de Gastina et ligna viva et mortua ad opera ejusdem Grangiæ, et omnes quittancias quas eidem cartæ dividunt.

Et in foresta Belesmensi duas quercus ad usum et reparationem dictæ domus de Vaunosia ; molendina de Bureio et de Coulgier, redditus annuos denariorum apud Moretanium, Aquilam, Argentonium et Escocheium ; annuos redditus bladi apud Soligneium, Courteherariam et la Mesnière, Regmalart, et in molendinis de Bubertre et Luosel duos modios frumenti.

Apud Aguerneium, dimidium frumenti modium, Apud Gacé, tres sextarios annonæ, et unam sextarium frumenti ad lumen ususque abbatie deputatum. Et apud Aquilam, et Pontemaudemeri duodecim millia aleciorum, et quindecim arpenta prati in pratis de Longo-Ponte ; et in Longo-Prato, multis in locis, sicut cartæ eorumdem dividunt, et septem arpenta apud Manvas, cum multis aliis terris arabilibus, et aliis pertinentiis, immunitatibus, et exemptionibus suis secularibus, ad easdem Grangias prædictas pertinentibus.

Sane non possum quin dolorem patiar, ut enim gravis est nobis oblata querela, nonnulli principes ac nobiles, necnon et nostræ gentis, occasione juris et patronatus, advocaciæ seu custodiæ quam in Abbatia, Grangiis, Cellariis, vel domibus vestris prædictis se habere prætendunt, ac plerumque pro libito voluntatis ; et quidam Ecclesiarum Prælati, a quibus non molestari, sed potius consolari deberetis, bladum, vinum, evectiones, animalia, ac res alias, pro edificatione, ac munitione castrorum ac villarum, necnon pro tirociniis, torneamentis, expeditionibus et aliis usibus secularibus a vobis et a colonis seu medietariis vestris exigere et extorquere volunt.

Alias ipsi et nostræ gentis, et parochiani Ecclesiarum ubi sitæ sunt prædictæ Grangiæ, vos et colonos, seu medietarios vestros [talliis] et exactionibus secularium indebitis multipliciter aggravando, contra Ecclesiæ statuta, et privilegia vestra et Ordinis, propter quod et quies Monasterii, Ordinisque perturbatur, et commissis vestris Grangiis et domibus, grave imminet detrimentum.

Quare vestræ providere quieti, et molestantium maliciis obviare volentes, autoritate nostra regia, et præsentate carta districtius inhibemus, ne quis a vobis et a colonis, seu medietariis vestris, ibidem in domibus et Grangiis vestris prædictis manentibus præmissa exigere et extorquere audeat.

Sed volumus, et præsentate carta damus et confirmamus eisdem Monachis, quod ipsi, eorumque homines coloni, medietarii, et pansionarii, in eisdem Grangiis et domibus manentes, et reseantes sint liberi, quieti penitus, et immunes, et exempti ab omnibus subsidiis, terreno servitio, talliis, peagio, fouagio, traversio, et sæculari consuetudine, et sæcularium exactionibus omnibus, relevationibus, gardiis, fossatis, muragiis, curagiis, gravationibus, seu quibuslibet aliis terrenarum servitutum sæcularium exactionibus, et etiam ab omni justitia sæculari et laïca, nichil michi et successoribus meis in eadem Domo Dei, et in eisdem Grangiis vel domibus prædictis retinens.

Quod ut firmum et stabile in perpetuum permaneat, salvo in aliis jure nostro, et in omnibus alieno, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi magnum sigillum.

Actum in abbatia Cluniaci, in præsencia Domini Domini Innocentii papæ quarti, anno Domini millesimo ducentesimo quadragésimo sexto, mense septembri.